



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 88. Adriani Electio populo Romano ingrata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI.
A.C. 1522.

§. LXXXVIII.

*Adriani electio populo Romano
ingrata.*

Hujus electio Romanis, qui natione Italum præfici optabant, minus accepta erat, ac speciatim populus a deo indignanter ejus nominationem ferebat, ut Cardinales, cum patefacto conclavi domum redirent, passim injuriis ac maledictis appeteret; hunc Romanorum furorem auxit fama in vulgus sparsa, Pontificem neglecta Roma in Hispania permansurum, aut saltem in Hollandiam rediturum, ut longiori itinere moram traheret. Præterea Paulus Jovius refert, quod Gonzaga Cardinalis, dum fervente populi tumultu cum pluribus Cardinalibus per pontem Sancti Angeli præterveheretur, *renidenti vultu sese ad illos, qui ceteris magis tumultuabantur, convertens, his gratias egerit, quod adversus extrema supplicia promeritos contumeliis essent contenti, nec lapidibus publicam injuriam vindicarent.*

*Paul. Jov. in
vit. Adriani
VI. p. 251.*

Interim, dum ipse Romam veniret, Sacrum Collegium ex quovis ordine tres Cardinales constituit, qui Pontificia obirent munia, & Palatium Vaticanum incolerent. Die tamen decima Februarii Cardinalis Cibo, & Grimanus Eccle-

Ecclesiæ regimen acceptare recusabant, Fliscus quoque sese huic oneri itidem subducere cogitabat, ast legitima excusatione destitutus, suam nominationem ratam habere compellebatur, idque unicum precibus ejus datum, ut in Vaticano Palatio habitare non cogeretur.

§. LXXXIX.

Lutherus deserto secessu Wittembergam delatus.

Ineunte hoc anno Lutherus custodiæ suæ pertæsus Wittembergam rediit, cum vero ab Electore Saxoniae minime vocatus esset, ejusque indignationem ultraneo hoc reditu incursum se pertimesceret, ideo Mense Martio ad eundem literas dedit, hunc in modum scriptas. Jussa tua, Serenissime Princeps, semper revereor, secessum tamen meum relinquo, nullo perverso animi proposito stimulatus; haud equidem me latet, me plurimum objurgationem incursum, quod tali pacto meipsum discrimini exponam; cum enim a Papa necnon a Cæsare proscripius sim, tantam horum potentiam contemnere non deberem, hæcque dudum, necnon seria mente perpendi; nihilominus triplici ex causa reditum meum oppido necessarium fore existimo, ac primo quidem, quod a
Witten-

*Sæcul. XVI.
A. C. 1522.*

*Sleid in com.
l. 3. p. 80.
Florim. de
Raym. de
orig. hæres.
l. 1. c. 5.
Surius in
com. an. 1522
Cochl. in actis
& script.
Luth. ann.
1522. p. 48.*